

*Fiori, lib. 1. cap. 1. p. 9. cum inquit: Constantino invero ne dimostra esser
cosa da Principe il dar leggi, si come a gli huomini, così a fiori. E con
ragione, dir potremo, che, si come il coltivar l' Horto, per esempio di
Ciro, è mestiere da Re, così per quello di Constantino lo scriverne è cosa
da Imperadore. E per autorità dell' uno è dell' altro saremo astretti a
confessare, esser cosa ugualmente degna il trattar lo scettro, è la Marra.
Quæ latinè ita verto: Constantinus nobis demonstrat, Principis esse,
ut hominibus sic & floribus legem dare. Et meritò, nam sicut
colere hortum exemplo Cyri est regium opus, ita opus Impera-
torium exemplo Constantini est de eodem scribere & præcepta
dare. Et utriusque autoritate fateri cogimur, æque dignum opus
esse, sceptrum tractare & palam. Non ex nova ea, sed ex vetus-
tissimo illo, si rectè quidem memini, sapientiæ fonte promana-
runt. Socrates enim, qui Apollinis iudicio sapientissimus judica-
batur, apud Xenophontem in libro de tuenda re familiari, qui Oeco-
nomicus inscribitur, cum Critobulo colloquens, haud obscure in-
nuit, quod regale esset opus horticultura. Verba ipsius ante com-
plura secula digna iudicabat summus Orator, ut partem facerent
libri de Senectute; quis igitur erit, nobis qui vitio vertet, si pari
fide recenseamus? Dicit igitur, Cyrum minorem Persarum Regem
Lylandro Lacedæmonio viro summæ virtutis, cum venisset ad eum
Sardis, qui nā conseptum agrū diligenter consitū ostendisse. Cum
autem admiraretur Lylander, & proceritates arborum, & directos
in quincuncem ordines, & humum subactam atque puram, &
suavitatem odorum, qui afflarent ex floribus; tum dixisse; Mira-
ri se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, à quo essent
illa dimensa atque descripta; & ei Cyrum respondisse: Atqui ego
omnia ista sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio, multæ
etiam istarum arborum mea manu sunt sata. Tum Lylandrum
intuentem ejus purpuram, & nitore corporis, ornatumque perfi-
cum multo auro, multisque gemmis, dixisse. Rectè verò te Cyre
beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta est. Ubi
tamen ὡς ἐν παρόδῳ addere placet, quod in præsentī Ciceronis lo-
co Cujacii Codex legat: Odorum qui efflagrarentur è floribus. Unde*

B a

Guili.